

Admodum Rev. Pater. A multis jam diebus impetravi à Summo Pontifice quod R.V. petebat pro D. Doctore Joanne Maldel: sed notarius S/ti Officii, qui ejusmodi facultates scribit in charta pergamena, et addit subscriptiones Cardinalium S/ti Officii, et appendit sigillum, tam multas ejusmodi literas scribendas habet, ut non nisi post longum tempus ab eo accipi possint. Nunc tandem accepi, et mitto ad R.V. ut per manus R.V. ad eum perveniant, cujus gratia scriptae sunt. Non erat quod R.V. timeret, ne forte mihi molesta esset in ea petitione; nam et res facilis est, et ego loco beneficii accipio, cum fratres mei ad me scribunt, et ego possum in re aliqua illis gratificari. His valeat R.V. et pro me oro, ut cursum meum feliciter consumem. Romae, die 19 Aprilis 1619.

R.V.

frater, et servus in Christo

Robertus Card/lis Bellarminus.

Admodum R. P'ri, Pr'i Mathiae Mairhofer Sacerdoti Societatis Jesu

(cachet)

Monachium.